

1. 'Hodie puer natus est nobis' canat ecclesia;
- 2a. Angelica simul resonant caeli agmina
- 2b. Regis sui laudes, qui nos salvare advenit.
- 3a. Lux nova iam terras illustrat et nostras pellit tenebras,
- 3b. Ut caeli sidera rex potens faciat nobis praemia.
- 4a. Felix mater sola es virgo semper intacta permanens;
- 4b. Regem caeli foeta es, cum sis viri cubilis nescia.
- 5a 1. Te petimus supplices voce humillima,
- 5b 1. Ut deleat nostra fugans per te crimina;
- 5a 2. Ut impetres veniam nobis mortalibus a Christo, virgo sanctissima,
- 5b 2. Primae matris monitis caelestis angeli obnixi fuisti credula.
- 6a. Iam domino Christo nostro personent cum laudibus pia carmina,
- 6b. Ut tribuat sanctae vitae pascua, quae satient animalia.
- 7a. Te quondam per maria, Christe, duce pertransivit tua turba et venit ad pacifluam Gerosolimam:
- 7b. Eiecti paradisi sede sacra tristes valle luctuosa te petimus: redde, Christe, nostram patriam.
- 8a. Pater sempiternae, fac nos gaudere tecum *in caelestis regno*
- 8b. Per secula cuncta, atque largire nobis *aeterna praemia cum sanctis simul.*
9. Da digne nobis frequentare natalicia tua semper, Hiesu Christe.